



243

Sequitur processio ad loca sancta montis Syon; et primo ad locum ultimae coenae.

Consummato Officio parabant se Fratres minores ad processionem sollemnem et sacris inducti vestibus cum cruce; vexillis, cereis, reliquiariis, thuribulis, et aqua benedicta procedebant. Cunctis itaque cum eis procedentibus incepit cantor magnam habens vocem alta voce jocundum hymnum de canticis Syon: pange lingua gloriosi corporis mysterium; et cum illo cantu processimus nos sacerdotes ante, et alii peregrini sequebantur: et in chorum venimus ad summum altare, quod illo sanctissimo loco creditur esse erectum, in quo Dominus Jesus ultimam coenam cum suis discipulis fecit, et ibi panem et vinum in corpus et sanguinem transsubstantiavit et discipulis sumenda tradidit, eosque sacerdotes illius sacramenti ibi consecravit. Ad hunc locum sanctissimum accessimus unus post alium, et prostrati locum sub cavato altari deosculati sumus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Ecce peregrine frater charissime, hic domus, hic coenaculum, hic mensa, ubi panis coelestis, panis Angelorum, donum utique ineffabile propinatur, quod solum habet accendere desiderium, humilitatem ingerere, compunctionem inducere, praebere fiduciam, spem erigere, ad amorem inflammare, infundere gaudium, excitare ad reverentiam, mentem liquefacere, et affectus dulcissimos provocare. Super omnia loca sancta est hic honore dignissimus, si modum attendamus, quo summum bonum se nobis communicavit, omnis namque locus, quo nobis confertur aliquo modo Deus, est nobis utique venerandus: sicut Nazaret, ubi recepimus Deum incarnatum; Bethleem natum; mons Calvariae tribuit nobis eum crucifixum. Ideo merito haec loca honore sunt digna: sed plus ille, in quo salubrior facta fuit communicatio, quam in caeteris locis et intimior, praebens se hic in edulium, corpus suum in cibum et sanguinem in potum, ut cibatus fieret unum cum cibo, quia qui manducat meam carnem, inquit, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in ipso. Sed et praeter haec ineffabilia hic finivit typica et legalia, et nova instituit sacramenta. Johannem in sinu recumbere permisit; proditorem (B) suum Judam se scire affirmavit; Petro casum suum praedixit; fugam

16*

258

256

262

252

267

247

307

207

357

157

Ende

Anfang